



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetæ Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs CXLVIII. Laudate Dominum de cœlis, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Quando tuas portas fidus communit & arcem,  
Quando auget variis teq; tuosq; bonis.  
Pace tuos fines quando & tua mœnia munit,  
Et tritici optata te bene messe beat.  
Quando suum eloquiũ terras ita mittit in omnes,  
Ut properent celeri haud irrita iussa gradu.  
Quãdo niuem spargit super agros, velleris instar,  
Cum facit, ut cineris more pruina cadat.  
Cum venas glacie astringens connectit aquarum,  
Nemo gelu queat hoc ut tolerare diu.  
Cumq; suo nutu glaciem mollescere cogit,  
Flante alio vento, vult & ut vnda fluat.  
Sunt opera hæc Domini, sua qui promissa Jacobo,  
Quiq; Israël, sacra statuta docet.  
Non ulli populo talem se ostendit amicum,  
Nec notas leges gentibus esse finit.*

PSALMVS CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis, &c.

*C*Oeli & cœlicola Domino noua munera laudũ  
Ferte, sacros hymnos, præconia debita, dulcis  
Car-



Carminis omne genus, gratanti fundite voce,  
Atq; piis linguis Hosanna huic dicite Regi,  
Angelici cœtus, & nuncia turba, ministri,  
Ante Dei faciem stantes, exercitus omnis,  
Siderei excubiis qui mœnia cingit olympi,  
Laudibus æternis celebret supra astra sedentem.  
Fulgida fax solis, clarum decus ætheris alti,  
Candida Luna decus terrarum, splendida nocte,  
Astra poli mirè celfo radiantia cœlo,  
Se laudis debere Deo fateantur honorem.  
Cœli æcelorum, tum quicquid in æthere degit,  
Ignea convexi quicquid vis continet orbis,  
Ac superinducto suspensa in fornice nubes,  
Eia agite unanimes Domini celebretis honores.  
Omnia quæ dixi, laudes celebrate Jehouæ,  
Quod iubet ille statim, promptus quoq; perficit idē,  
Ille opifex verbo nutuq; hac cuncta creavit,  
Cuncta creata suo qui numine dirigit & vult,  
Sic ea perpetuos stabilita manere per annos.  
Huic grates agite, huic laudum pia munera ferte,  
Quotquot & in terris animantia viuunt, inq;  
Gurgitibus pelagi, stagnis, pluuiisq; profundis.

O o 3      Omni-



Omnibus eia modis, praconia ferte Iehoua.  
Ignis, flamma, niues cum frigore, grando, pruina,  
Ros, glacies, nimbi, tempestas, fulgura, venti,  
Et vapor exhalans, cum turbine, cumq; procella,  
Laudibus eximiis extollite numina sancta.  
Aerii montes, iuga proxima nubibus ipsis,  
Colles & valles, cum syluis arboribusq;  
Cantica ferte Deo, praconia dicite Ioua,  
Fructiferis cedri cum stirpibus & nemus omne,  
Vosq; fera in nemorum latebris et aues pecudesq;  
Jumenta, insecta, & repentia cuncta, volantum,  
Omne genus, quicquid serpit, graditurue natatur,  
In terris, in aquis, & in aere, iubila fundat.  
Reges atq; duces, Heroes, vosq; Monarchae:  
Et cum principibus, comitum decus atq; Baronu,  
Cum populo consul, cum plebe suaq; senatus,  
Laudantes Dominu celebrent cantentq; Iehouam:  
Virgo, puer, iuuenis, matrona, puella, maritus,  
Cum pare quisq; sua, premit & quos serior aetas,  
Iam letho propior, pulsus melioribus annis,  
Grata Deo studeant laudum noua carmina ferre.  
Deniq; quae Domini tam fortis dextra creauit,  
Cuncta



*Cuncta creatoris celebrent super omnia nomen,  
Quod solum sublime, procul supereminet omnes  
Cælorum, & terra, pelagi, finesq; profundi.  
Huic soli debetur honos, qui nobile regnum,  
Atq; sui cornu populi euehit, undiq; firmans  
Robore: quas laudes semper sonet Isacidarum,  
Incluta posteritas, quam diligit ipse Iehoua.  
Eia Deo grates sint, musica, iubila, plausus.*

PSALMVS CXLIX.

Cantate Domino canticum &c.

*L* Aus, honos & gloria  
Sit Deo, fœtus noui  
Huic sacretur carminis.  
Hunc sono per iubila,  
Prædicet cohors sacra:  
Conditore gaudeat  
Israëlis gens Deo.  
Et Sionis paruuli  
Rege gaudeant suo.  
Eius & nomen canant

In